



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 65. Samson Archiepiscopus Remensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæcul. XII.
A.C. 1140.

§. XLV.

Samson Archiepiscopus Remensis.

Samson, qui Concilio Senonensi interfuit, eodem anno millesimo centesimo quadragésimo Archiepiscopus Remensis ordinatus fuerat, postquam illa Sedes, Rainaldo decima tertia Januarii anno millesimo centesimo trigésimo octavo defuncto, annos duos vacasset; quippe electio dilata fuerat, tum quod Rex obsisteret, a Comite Campaniæ offensus, tum etiam cives Remenses, qui occasione Sedis vacantis, ad stabiliendum jus societatis Civilis, usuri, contra antiquas consuetudines, Archiepiscopo faventes, reclamabant, quod eas nullo jure fundari dicerent. Id cognoscimus ex Epistola Regis Ludovici junioris, ad cives Remenses data, in qua dicit, quod ipsis illud Privilegium eo modo, quo Civitati Laudunensi, concessisset, salvo tamen Archiepiscopi omniumque Ecclesiarum jure.

Cum deinde S. Bernardus ad Sedem vacantem implendam expeteretur, recusavit honorem, & tristi sorti hujus Ecclesiæ condolens, Innocentio Papæ scripsit in hunc modum: *Cadit in interitum Remensis Ecclesia, data est in opprobrium civitas gloriosa, unica spes ejus Innocentius Papa. Quievit indignatio Regis, superest, ut afflictæ Ecclesiæ manum porrigas.*

Pri-

Marlot. l. II.
c. 44.

c. 45.

ap. Marlot.
l. II. c. 45.

Sup. lib.
LXVI. §.
18.

ep. 318. al.
389.

Primum itaque curandum esse credimus, ut maturetur Episcopi electio, ne insolentia Remensis populi, quod residuum est, disperdat, nisi sit, qui furenti se se opponat. Ergo Samson eligitur de Mauvoisin, ex nobili Familia in Territorio Volcassino ortus, Archidiaconus Carnotensis, Archiepiscopi Rainaldi Antecessoris sui nepos; electum vero S. Bernardus Innocentio Papæ, tanquam Sacerdotem Sacræ Sedi addictissimum, & Archiepiscopali fastigio dignissimum, commendavit. Is Ecclesiam Remensem annis plus quam viginti rexit.

§. LXVI.

Epistolæ contra Arnaldum Brixiensem.

Arnaldus Brixienfis, Abaelardi Discipulus, ex Italia & Francia ejectus, Tigurum in Diocesi Constantiensi se se receperat. Quare S. Bernardus datis ad Episcopum literis, monet; caveret a viro periculoso, cui austeræ vitæ ratio speciem aliquam auctoritatis ad errores suos in animos audientium insinuandos, & Abaelardi perverfa dogmata defendenda, tribueret. Is enim nobilium virorum amicitia munitus in totum ordinem Ecclesiasticum & in ipsos Episcopos insurgere audebat. Suadebat ergo Episcopo S. Bernardus, ut caperetur & in loco tuto custodiretur, quod Papa jam tunc, cum

Sæcul. XII.
A.C. 1140.

Sup. §. 55.

ep. 195.